

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Weinmann Johann Daniel Starck

**Disputatio Theologica De Aphorismo Paulino ex 1. Tim. c. 3. v. 16. Deus
Manifestatus Est In Carne**

Altdorphi[i]: Typis Scherffianis, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786503807>

Druck Freier  Zugang



A-D d. 06 326. 6.

~~rot K~~ A-H
~~26p~~ A-C
A-F A-E
20p A-D
A-B A-L
A-G A-J
A-E A-F
A-K A-G
A-DE A-C
A-DE A-B
A-DE A-L
A-DE 38p
A-DE 32p

52

Fa-1092(52.)

24p
A-F
A-F
31
A-DE

DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.

TOMO HOC XCVII. COMPREHENSIVE.

- Scrinium Scripturae Sacrae Pr. Pet. 1. De Triplex Officio Christi Pres. 25.
 Conformatio Iudeo-Papistica in loco 2. L. Michael Schmid.
 de Scriptura Sacra Mr. D. N. Gessero. 2. De Problemate Theologico, Ad Art. 26.
 de Analogia Fidei. Pr. D. A. Calvino. 3. culus Finis de Ascensione Christi
 de Interpretatione Scripturae S. P. Melius 4. in Coelos quicquam derogat vere
 de SS. Scriptura Authoritate. Perseveratio 5. Corporis let Sanquinius Iesus. Pres. 27.
 ac Perspicuitate. Pr. N. El. Veselio. 5. Sancta in S. Coen. 28.
 de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. 6. De Loenitentia Bestiarum Vivendi
 Pet. 1. N. 20. 21. Pres. D. Debely. 6. tica. ad. Son. c. 3. comm. & s. Pres. 27.
 de Cognitione Dei Definitiva, an datur 7. Jon. Friderico Mayero. Licent. 28.
 Pr. N. Joh. Wemmanno. 7. De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. 28.
 de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. 8. And. 2. ualde. 28.
 Sebast. Niemann. 8. De Nomo Confessionis. Rom. Prudi 29.
 de Personarum divinarum distinctione, 9. Planning. Comment. Ruth. & P. Müller 29.
 an et quam illa sit. Pres. Codem 9. De Satisfactione proprie pro poe. 30.
 de Actione Del prima in tempore, q. 10. in temporibus remissio culpa
 dicitur Creatio. Pr. 2. N. Joh. Wemmanno. 10. in hac vita. Pr. N. Joh. Schmid.
 de Permissione divina circa peccata. Pr. 11. De Rogula Iuris Naturae. Pr. D. Debely. 31.
 S. Christiano Chemnitio. 11. De Confisco Pontificiorum Septem. 32.
 de Appellationib. Daemonum. Pr. D. Joh. 12. nario. Sacramentorum Dumero.
 Meissnero. 12. Pr. S. Joh. Ernesto Gerhardo.
 de Natura et Quiditate Luminis Gloriæ. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 33.
 Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo. 13. De Baptismo. Pr. N. Lev. Pouchenio 33.
 de Peccato Veniali. Pr. Cas. Codem. 13. Quæst. Cas. Cum Abstemys quid. 34.
 de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. N. 14. agendum in S. Synaxi sit. Cod.
 Joh. Wemmanno. 14. De Analyticæ quæst. Et i. Cor. 10. Pres. 35.
 de Phras. Scripturae, qua Deus dicitur. 15. De Fide in Messiam Patriarchali. 36.
 Indurare, Excoetare. Ac. Pr. D. S. Schmidt. 15. ex Genes. 49. ff. 18. Pr. D. S. Schmidio.
 de Virib. Liberi arbitrii in Conversione. 17. De Donis Openbus. Pr. N. S. Niemann. 37.
 Pr. D. Sebast. Niemann. 17. De Donis Openbus. Pr. D. S. Niemann. 38.
 de Actione Del prima ab aeterno, que 18. De Donoru Operum Necesitate. 39.
 dicitur Prædestinatio. Pr. N. S. Wemmanno. 18. Pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo.
 de Phras. Scripturae Deletionis à libro 19. Iacob Clavis Ligantis. Pr. D. Damhauer. 40.
 Vita. Pr. Cas. Codem. 19. Tвор новой и новой Греции. 41.
 de Poem. Circumdante Virum tam 20. Ecce Divinis. Pr. G. Groenio.
 quam novo, quod creavit Dominus. ex 20. Surgatorum exustum q. Papistas. 42.
 Verem. 31. fo. 22. Pr. Hartichorstio. 20. pr. D. Joh. Ernesto Gerhardo.
 de Aphorismo Joh. ch. 4. Verbum Caro 21. De Reliquis Christi et Sanctorum. 43.
 factum est. Pr. N. Joh. Wemmanno. 21. Eccl. cultu. P. D. S. Niemann.
 de Aphorismorum Theolog. de In 22. De Resurrectione Mortuorum. 44.
 caratione Filii Del Domini. N. I. C. 22. Pr. N. Lev. Pouchenio.
 Pr. D. f. Codem. 23. De Resurrectione Impiorum. Pr. 45.
 de Aphorismo Paulino ex Tim. 3. n. 23. D. Johanna Neßner.
 ib. de plus manifestatq. est in carne. 24. Conta Empactas Promissionis 46.
 Parallelismus Calvinae Nestorianus. 24. Adventus Christi Ultimus. Pr. D. Wemmann.
 Pr. Johanne Adalmo Scheffero. 24. de Genitu Creaturae intelligentiis. 47.
 Collecta à N. Antonio Ulrico 25. Pr. D. J. Christopher O' Hone.
 Comp. Tubinga. Anno. 1680. 25. De Appellatione ad supremum. 48.
 d. 14. Junij. 25. dilecti Iesum Christianum. P. S. E. Gerhardo.
 Sebastianus Schmidio. Pres. 49.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

Aphorismo Paulino

ex 1. Tim. c. 3. v. 16.

DEUS MANIFESTA.
TUS EST IN CARNE.

Quam,

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

Plurimum Reverendi Clariss. & Excellentissimi
VIRI

DN. M. JOHANNIS WEINMANNI,
S.S. Theologiæ Prof. Publ. & Eccl. Min.
meritissimi, Fautoris & Præceptoris sui debito
obseruantiae cultu æternum pro-
sequendi.

Publicæ & placide disquisitioni subjicit

JOHANN - DANIEL STANDFH/

Austr. S.S. Theol. Studiosus.

In Auditorio Majori

Ad diem Februarij.

ALTDORPHI

TYPIS SCHERFFIANIS exscripta.

ANNO & θεωρητος

M. DC. XLIV.

Per - Illustri ac Generosissimo
DOMINO
DN. FRANCISCO CHRISTOPHO
RO à Teuffenbach/LIB. BARONI
in Messweg & Spielberg &c.
DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.

VIRIS

Generosi, Nobilissimi, Amplissimiq; ordinis Senatorij Reg. Lib.
ac Montane Reipublicæ Neosoliensis, Montanarum
Hungaria Civitatum capit̄is,

DOMINIS

JUDICI SCHOLARCHIS ac RELI-
QUIS CURIÆ ejusdem Adsestoribus dignissimis,
Dominis ac Mæcenatibus ævum
honorandis.

NEC NON

Præ-strenuo, Nobilissimo ac Egregio

VIRO

DN. ERICO HOEFFLINGER ab Smo
boldkhamb/Sac. Cæs. Majest. Aulæ familiari Privilegia-
to, Fodinarumq; Creminicens. Schemnicens. & in En-
gelsberg Cultori præstantissimo, Fautori ac Patrono
item honoratisimo,

In subjectionis & debita gratitudinis symbolum has
primitias Academicas loco

STRENÆ

D. D. D.

AUCTOR & RESPONDENS.



בָּשָׂר יְתַחַת

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.


 Μολογχύνεως μέρζα εἰ τὸ ἐυστέλεῖας μυηῆροιο: ΘΕΟΣ
 ΕΦΑΝΕΡΩΘΗ ΕΝ ΣΑΡΚΙ, piē & graviter
 exēlamat electum illud DEI organon in Epistolā I.ad
 Timoth. c. 3. v. 16. luculentissimè docens, quā in re
 potissimum vera Ecclesia columnā & firmamentū veritatis sit, ni-
 mirūm in adserendo ac defendendo magno illo pietatis mysterio,
 quod in ἔνοργωσι Filii DEI consistit, & à nobis sine ductu, au-
 spicioq; Spiritus sancti percipi non potest. Transcendit namq; &
 excedit omnem nostrum captum, intellectumq;, adeò, ut nullā
 ratione humanā, quæ, teste, proh dolor! experientiā, in luce re-
 rum tenui caligat, in mediocri cæcutit, in majore cæcā est, in ma-
 ximā verò insanit, comprehendī queat. Inde Chrysostomus, au-
 reum illud Eloquentiæ flumen, de se fatetur, in comment. super
 Hebr. c. 2. v. 14. 16: *Hacce sapientia in mente versans, excessum patior.*
 Nec S. Ecclesia dissentit, ita de hoc mysterio canens: *O admirabi-
 le commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de
 virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine semine, largitus est no-
 bus suam Deitatem. Was geschah so wunderlich! Gotts Sohn vom
 Himmelreich / der ist Mensch gebohren.* Ejusdem cognitionem, vel
 potius piam meditationem, ipse Agonotheta noster in ardentissimā
 suā precatione, Joh. c. 17. v. 3. disertissimis his verbis com-
 mendat: *Hac est vita eterna, ut cognoscant te solum verum DEUM,*
 & quem misisti IESUM Christum. Respectu cognitionis hujus reli-
 qua omnia, Paulo, propriā experientiā edocto, fuere ἡγεία, da-
 minum, & σκύλα, excrementa, Philip. c. 3. v. 8. propterea in eâ
 solā gloriatur, I. Cor. c. 2. v. 2. Gal. c. 6. v. 14. Quoniam verò
 Ecclesia christiana, per totum orbēm dispersa, magnā devotione
 & anniversariā lātitia, hoc tempore memoriam *magni hujus my-
 sterii de ἔνοργωσι Filii DEI*, assumentis humanam naturam, ex

puro beatæ virginis Mariæ sanguine, in personæ suæ unitatem, five ὑπαρχίᾳ, recolit atq; celebrat: fert animus, suadet pietas, jubet religio, Aphorismum hunc DEUS MANIFESTATUS EST IN CARNE, sub piᾳ οὐγήσθεως incudem, pro ingeniali tenuitate, revocare, placidoq; οὐγήσθεως examini subjicere. Quod ut eò feliciùs præstare, ab omnibus corruptelis & errorum diverticulis nos sejungere, & in simplicitate veræ sententiaæ continere valeamus:

Christe biune, tuo nos dirige flamine sancto!

THE SIS I.

REctè & utilissimè monetur in veteri illo: πρὸς τὸ ὅρθῳς διδάσκειν, δεῖ πεῶτην ἐξελέγειν τὸ ὄνομα τοῦ. Quia, ut Damascenus ait, nomina sunt indicia rerum. Non solum utilia ad disquisitionem: verū etiam ad cognitionem necessaria, ajente subtilitatum Magistro, Scaligero, exerc. 32, sect. 10. Quod cum primis verum est in nostrâ S. S. Theologiâ, quippe cùm de DEO, ejusq; filio, vix plura in hac mortalitate sciamus, quām nomina. Ad stipulatur nobis magnus Chemnitius, loc. de personâ filii DEI, scribens: de DEO in hac vitâ amplius nihil scimus, quām ipsius nomen. Formam ejus, inquit Moses Deut. c. 4. v. 12. penitus non vidistis, tantum vocem verborum ejus audivistis.

II. Nobis in explicatione Aphorismi nostri primum declarandum venit vocabulum θεός, quod vulgariter quidem versio, & quædam exemplaria latina non habent, id quod nobis regerunt & objectant adversarii. Legitur tamen in probatissimis & antiquissimis exemplaribus græcis. In quibus verò non exstat, ex iis absq; omni dubio, astu & depravatione hæreticorum sublatum est.

III. Sumi-

III.
Proprietati tribu-
toriomniu-
tiam divina
nem, quas
a principio c-
totam S.S.
fes, quando
h.e. Paris,
c. 2.v.4. De
Job. c. 4. V.
maliter, pro-
statio sign
W.6. Filius
IV.
um Epist.
gratiam, d
tamboni, f
2. v., & le
Sam. c. 28
divinum
tu, Exod.
minister et
judicium ex
vid. C., p
v. 20. de
c. 3. v. 19.
V. Dil
ratis crea
lute, fed le
v.1. Moles
ne, nimini

III. Sumitur in Scripturis propriè vel *impropriè*.

Propriè tribuitur uni vero DEO, conditori & conservatori omnium; idq; I. ρωμῶς, *essentialiter*, prout essentiam divinam notat, omnibus tribus personis communem, quas propterea omnes connotat, ut, Gen. c. I. v. I. *In principio creavit DEUS (־אֱלֹהִים) cælum & terram.* Ubi totam S. S. Trinitatem intelligi, seipsum explicat Moses, quando in seqq. distinctam dicentis verbi, & spiritus, h.e. Patris, Filii & Spiritus S. facit mentionem. Confer c. 2. v. 4. Deut. c. 6. v. 4. 5. Esa. c. 45. v. 5. Matth. c. 22. v. 37. Joh. c. 4. v. 24. Act. c. 14. v. 15. &c. II. ψευδολόγος, personaliter, prout essentiam notat certo charactere hypostatico signatam, quo sensu dicitur DEUS Pater, Joh. c. 3. v. 16. Filius, Joh. c. I. v. I. & Spiritus S. Act. c. 5. v. 3. 4.

IV. *Impropriè usurpatur nomen DEI, juxta Basiliūm Epist. 141. ad Cæsarianos, I. καὶ χάριν, secundum gratiam, de creaturis; vel incorporeis, videlicet spiritibus, tām bonis, Psal. 8. v. 6, item Psal. 97. v. 7. Hebr. c. I. v. 6.c. 2. v. 9. & secundum quosdam Psal. 86. v. 8. quām malis, I. Sam. c. 28. v. 13; vel corporeis, nimirūm hominibus, quibus divinum aliquod munus incumbit, utpote de Magistratu, Exod. c. 21. v. 6. c. 22. v. 28. Psal. 82. v. 1. 6. quia DEI minister est in his terris, Rom. c. 13. v. 4. non hominis, sed DEI judicium exercens, Deut. c. I. v. 17. 2. Par. c. 19. v. 6. II. ψευδολόγος, secundum mendacium, utpote de idolis, Exod. c. 22. v. 20. de diabolo, 2. Corinth. c. 4. v. 4. & de ventre, Philip. c. 3. v. 19.*

V. Diligenter tamen notandum, jam modò enumeraatis creaturis nomen DEI in Scripturis tribui non *absolutè*: sed semper cum appendice & restrictione. Sic Exod. c. 7. v. 1. Moses dicitur DEUS, sed Pharaonis, cum hac restrictione, nimirūm, ob potentiam, quam coram Pharaone exer-

exercebat. Sic 2. Cor. c. 4. v. 4. diabolus dicitur DEUS, sed hujus saeculi, h. e. impiorum, qui ipsi tanquam DEO serviunt. Philip. c. 3. v. 19. venter dicitur DEUS, sed Epicureorum, qui ventris causâ omnia faciunt. Quinimò ut Scriptura verum DEUM à falsis accuratè discernat, vocat istum φύσει θεόν, Gal. c. 4. v. 8: hos verò λεγομένους θεάς, I. Cor. c. 8. v. 5.

VI. In hoc Aphorismo nostro propriè, & quidem determinato sensu vox DEI accipitur; non ἡ σωματῶς, essentia-
liter: sed ἡ ψυχῆς, personaliter, καὶ ὁ δρός τόπος ἡ πάτερ, in personâ Filii considerata, de quâ piè cum universâ Ecclesiâ affirmamus, eam verè humanitati unitam esse, sive carnem assumpsisse, cùm primò huic non Patri, nec Spiritui S. in toto N. T. tribuatur manifestatio in carne.

VII. Est quidem INCARNATIO, in quantum est opus ad extra, opus Trinitatis indivisum, & omnibus personis commune. Pater enim dat Filium suum povo Iesu, Joh. c. 3. v. 16. & mittit eum factum ex muliere, Gal. c. 4. v. 4. quam missionem à Patre, Christus passim allegat, ut Joh. c. 3. v. 17. 34. c. 4. v. 34. c. 5. v. 23. 24. 30. 36. 37. 38. c. 6. v. 29. 38. 39. 40. 44. &c. Spiritus S. quoq; venit super Mariam, Luc. c. 1. v. 35. quem etiam Christo datum legimus non ad mensuram, Joh. c. 3. v. 34. sed cum omni suâ redundantia, ut Tertullianus addit. Unde oleo latitiae, h. e. Spiritu sancto unctus dicitur præ consortibus suis, Psal. 45. v. 8. Hebr. c. 1. v. 9. Act. c. 10. v. 38. Intervim in solius Filii DEI personâ incarnatio facta est. Non Pater, non Spiritus S. sed Verbum, seu ὁ λόγος caro factus est, Joh. c. 1. v. 14. ut ita Divinitas non sub reiād, sed μονάδ, ratione, h. e. in unâ saltem hypostasi in sui consortium humanitatem assumpserit.

VIII. Quod Damascenus lib. 3. de orthodoxâ fide, c. 6. ita expressit: Dicimus omnem & perfectam naturam Deitatis

Deitatis in unā ejus hypostaseō incarnatam esse. Eadem, enim natura Divinitatis tota & perfecta est in singulis personis. Et quando dicimus: Deitatem unitam esse carni, intelligimus id, quod Athanasius in symbolo vocat τεός ληγίνην & αὐθεωπότητην εἰς τὴν Ἰεράνην, assumptionem humanitatis in Deitatem. Thomas acutè & eleganter part. 3. quæst. 3. art. 4: Totā naturā divinā dicitur incarnata, non quod sit incarnata in omnibus personis, sed quia nihil deest de perfectione divinæ personæ incarnatae. Quod etiam vuln. decretum Concilii Toletani, cùm dicit: Solum Filium accepisse hominem in singularitatem personæ, non in unitatem divinæ nature. Scholastici verò rem totam similitudine trium puellarum, unam vestem junctim te- tentium, sed eandem uni adaptantium, declarare satagunt. Ubi actio texendi, & exteriū induendi eam, est quidem omnibus communis, non tamen omnes, sed una tantum eā induitur, quia isthac non in omnibus, sed in unā terminatur.. Atq; ita Scholastici (quorum verba dextrè sunt explicanda) dicunt: Incarnationem esse omnium trium personarum inchoativè, ob decretum, missionem & carnis formationem; sed terminativè solius Filij, ob personalem carnis assumptionem. Vide Lomb. l. 3. sent. dist. 5. Thom. part. 3. quæst. 6. art. 6. Alii dicunt: Totam S. S. Trinitatem incarnare, non incarna- ri, quod idem est.

IX. Deus ergo hic intelligitur verus, aeternus, & per aeternam generationem, aeterni & viventis DEI Filius. *Monotheismus non id est*, Psal. 2. v. 7. Matth. c. 16. v. 16. Johans c. 1. v. 14. 18. c. 3. v. 16. 18. 1. Joh. c. 4. v. 9. Rom. c. 8. v. 32. Patri ὁμοέστη, h.e. ut Augustana confessio art. 1. ex- plicat, ejusdem cum co-essentiæ & potentiae, qui hisce elo- giiis passim in Scripturis ornatur, & dicitur Deus Joh.

c. L. V.

23

C. I. v. i. Act. c. 20. v. 28. DEUS magnus, Tit. c. 2. v. 13. DE-
us verus, i. Joh. c. 5. v. 20. Filius altissimi, Luc. c. 1. v. 32. Fili-
us DEI altissimi, Marc. c. 5. v. 7. DEUS super omnia benedictus,
Rom. c. 9. v. 5. DEUS salvator, Esa. c. 43. v. 11. c. 45. v. 21. DEUS
iχνος, fortis, Pater aeternus, admirabilis, Esa. c. 9. v. 6. DE-
us Israël, Amos c. 4. v. 12. יְהוָה צְבָאֹת DEUS virtutum
sive exercituum, Psal. 24. v. 10. Esa. c. 8. v. 13. c. 44. v. 6. Qui
de se ipso dicit: Ego, qui ero, Exod. c. 3. v. 14. Ego primus & e-
go novissimus, Esa. c. 44. v. 6. Ego sum & ω, principium & fi-
nis, qui est, & qui erat, & qui venturus est, Apoc. c. 1. v. 8. II.
יְהוָה אֲלֹהֵינוּ, ad omnia efficienda & perficienda sibi ipse suffi-
cens, Gen. c. 17. v. 1. Immanuel noster, Esa. c. 7. v. 14. ο Κύριος,
Matth. c. 9. v. 28. Marc. c. 1. v. 3. Joh. c. 1. v. 23. c. 4. v. 11.
15. 19. &c. quo nomine LXX. interpp. nomen θεοῦ filius
DEI proprium expresserunt. Κύριος πατέρων, Act. c. 10. v. 36.
Κύριος δόξης, 1. Cor. c. 2. v. 8. Κύριος ἡ εὐεργέτης, 1. Cor. c. 15.
v. 47. Cui omnis data est potestas in cælo, & in terrâ, Matth.
c. 28. v. 18. Rex Regum, & Dominus dominantium, Apoc.
c. 19. v. 16. λόγος, per quem omnia facta sunt, Joh. c. 1. v. 1. 2.
Imago DEI, nempe substantialis, Col. c. 1. v. 15. Splendor glo-
riae DEI, Hebr. c. 1. v. 3. Character personæ ejus, ibid. &c.
Summā: DEUS DEORUM, id est, solus præ omnibus
aliis λεγομένοις θεοῖς verè & naturâ DEUS. Quæ nomi-
na & elogia fermè singula pro Divinitate Christi vali-
dissima & invictissima sunt argumenta.

X. Sunt autem impugnatores & hostes Deitatis
hujus aeterni Filii διαφοροvarii; imprimis novum illud
ἐχθρῶν γέννησα, Photiniani, qui Christum, merum hominem,
ex Mariâ virginē natum esse, nec ante hanc nativitatem ipsum
υπόσαλιν ἦ extitisse adseverant. Hoc monstrum hor-
rendum, immane, atrox, quod non veretur os in cœ-
lum ponere, & loqui magna, & blasphemias, tam
cla-

clara Scripturæ testimonia , ausu & furore plus quam satanico , non solum eludere & pervertere tentat : sed & insuper impias ac blasphemias hasce voces ex ore suo deterrimo eructat & despumat , dum scribere non erubescit in Catech. Racov. Witeberg. dedicata pag. 55 : Non tantum rectæ rationi , sed & Scripturæ adversum esse , afferere , divinam naturam esse in Christo . Item pag. 351 : Negare divinam Christi naturam , esse mysterium ad salutem utile , (reatu iniquitatis dixeris , ex 2. Thes. c. 2. v. 7. & quale describitur Apoc. c. 17. v. 5.) & fidem illam , quod Christus tantum sit homo , non autem verè DEUS , vehementer confirmare spem salutis nostræ . (Miseram , inquam ego , spem tali fundamento innixam !) Blasphemias hasce duntaxat recitasse , est omnino refutasse , cum ipse diabolus , Christi & humani generis infensissimus hostis , ipsum filium DEI sit confessus , Matth. c. 4. v. 3. 6. c. 8. v. 29. Marc. c. 3. v. 11. c. 5. v. 7. Luc. c. 4. v. 3. & 41. cuius testimonium non eo fine adducimus , ac si eo ad confirmandam veritatem opus esse censeamus : sed ut innotescat , tantam esse vim & lucem veritatis , ut nec diabolus mendax , & mendacii pater , Joh. c. 8. v. 44. eam in iniusticiâ detinere & reticere ausit , quod tamen audent & faciunt insignia ejus organa .

XI. Omnia illorum erronea recitare & refutare , argumenta , instituti nostri ratio non est : ea tamen quæ Aphorismum nostrum ferire videntur , paucis , iisque adamantinis , Scripturæ testimoniis retorquemus .

XII. Adversariorum igitur glossa , quæ ex corruptâ eorum corrumpendi loca Scripturæ sacræ libidine provenit , hæc est : DEUS est manifestatus , id est , voluntas DEI de salute hominum plenè est exmanifestata ,

B

in carne

31.

31.

32.

21.

28.

42.

44.

45.

23

in carne, id est, per infirmos homines, vel Apostolos, qui fuerunt caro. Quâ expositio[n]e quid violentius? quid à scopo & mente Apostoli alienius? Etenim quis hunc sentum vel divinando, nedum somniando, ex his verbis (modò *διεν τροπήν*, & sine præconceptis opinio[n]ibus ea legat) elicere potest? nisi textui manifestam, vim inferat, atq[ue] ita fateri velit non hic mysterium N.T. proprium, & quidem *magnum* innui, & contineri, cùm & olim in V. T. DEUS per homines viles & abjectos in mundo, id est, per Patriarchas & Prophetas, se & suam voluntatem pate fecerit, Luc. c. 1, v. 70, c. 24, v. 27. Act. c. 3, v. 24. Hebr. c. 1, v. 1, sed tantum prædicationem verbi vulgarem & usitatam describi. Neq[ue] ῥῆμα, sed ἐν ῥῆμα, eam φανέωσι factam esse, pronunciat Apostolus.

XIII. Ut evertant argumentum nostrum ex nomine Iēs deductum, urgent, non verum, sed nuncupativum, vel adoptivum DEUM, ex honoris tantum, dignitatis & potentie communicatione, vel in habitatione ita dictum, intelligi, è quod non exprimatur articulus ē in textu. Socinus in tract. de DEO, Christo & Spiritu S. pag. 55; Locus ille Joh. c. 1, v. 1, item I. Tim. c. 3, v. 16. satis indicare potest, Jesum Christum non esse æquè verum DEUM, ac Patrem ipsius; cùm Pater ē Iēs nominetur, id est, ille unus DEUS, ipse vero Iēs, id est, DEUS simpliciter dicatur. Goslavius part. I. c. 5, pag. 57: Dicitur Pater DEUS cum articulo, dicitur Christus DEUS sine articulo, & in totâ Scripturâ sacrâ non reperitur, Christum dici DEUM cum articulo. Falsissime! Dicitur enim expressè ē Iēs, Matth. c. 1, v. 23. Luc. c. 1, v. 16. Act. c. 20, v. 28. Tit. c. 2, v. 13. Hebr. c. 1, v. 8, 9. &c. Quod in nostro Aphorismo non addatur articulus ē, non sic ad Deitatis Filii labefactionem, sed ad subjecti demonstrationem. Nomen enim Iēs in hac enunciatione loco subjecti ponitur.

Jas.

Jam juxta Photinianorum regulam: Nomen DEUS in subiecto enunciationis absolutè positum, verum DEUM designat. Hinc Socinus in respon. ad Bellarm. cap. 6. class. 4. arg. i. pag. 370: Cūm nomen DEI in N. T. subjecti locum absolute obtinet, sive cūm articulo sit, sive sine articulo, nunquam nisi ipsi soli, nequidem Christo excepto, tribuitur.

XIV. Imò istam Photinianorum hypothesin falsam esse, inde colligimus, quia nomen Iēsū vero DEO attributum, quandoq; caret articulo, ut Joh. c. 1. v. 6. 12. 13. & 18. Matth. c. 4. v. 4. c. 5. v. 9. c. 6. v. 24. & vicissim additum habens articulum λεγομένοις Iēsū quandoq; tribuitur, ut, Act. c. 7. v. 43. c. 14. v. II. 2. Cor. c. 4. v. 4. Gal. c. 4. v. 8. Philip. c. 3. v. 19. Articuli igitur omissio, non potest esse Deitatis filii labefactatio.

XV. Et ne quid in defendendâ Deitate Christi desiderent adversarii, addimus, quod Scriptura non solum ei nomen DEI tribuat: sed & nomen יהוה quod est esse entiale & solius DEI proprium nomen, fatentibus etiam Judæis. Quam plurima enim dicta, quæ in veteri testamento de vero Jehovâ dicuntur, in N. T. ad Christum applicantur, ut Exod. c. 20. v. 2. Deut. c. 32. v. 12. dicitur, *Jehovam eduxisse populum Israëliticum ex Aegypto.* At Epistola Judæ v. 4. 5. testatur, *Christum eduxisse populum.* Sic Esa. c. 6. vi. exstat: *Vidi Jehovahem sedentem super solium excelsum.* &c. quod Johannes c. 12. v. 41. interpretatur de Christo. Zach. c. 12. v. 10. loquitur Jehovah: *Et afficiant ad me, quem confixerunt;* verūm Joh. c. 19. v. 37. de Christo exponitur, *Videbunt, in quem pupugerunt.* Similiter Esa. c. 45. v. 22. 23. dicit Iehova: *Ego DEUS, & non est alius.* Mibi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua; quæ Paulus Rom. c. 14. v. II. de Christo exponit. *Israëlitæ Jehovahm excelsum tentarunt in deserto,*

B 2

Exod.

Exod. c. 17. v. 2. 7. Num. c. 14. v. 22. Deut. c. 6. v. 16. At
 Paulus Christum in deserto tentasse Iudeos ait, i. Cor. c. 10.
 v. 9. Manet ergo invictè Christum non nuncupatione
 tantùm, sive ex dono DEI, per sanctæ conversationis
 meritum, eximio Divinitatis honore affectum; vel in
 DEUM profecisse: sed verè, essentialiter, & naturā esse
 DEUM. Interea, dum hæc Scripturæ dicta solidè (quod
 in æternum non facient) refutaverint, nos ad alia pro-
 peramus & pergimus.

XVI. De hoc vero DEO & filio DEI porrò dicit Aphorismus noster, quod sit manifestatus, h. e. ex inac-
 cessibili luce Deitatis, i. Tim. c. 6. v. 16. tanquam suæ ma-
 jestatis arcanâ sede prodierit, ut, qui suâ naturâ invisi-
 bilis est, adeò, ut nemo hominum illum vel viderit,
 vel etiamnum videre possit, sicut ipse inquit ad Mosen.,
Exod. c. 33. v. 20. & 23: Non enim videbit me homo & vivet.
Posteriora mea videbis; faciem autem meam videre non po-
 teris, in plenitudine temporis visibilis factus sit, visibili-
 terq; hominibus apparuerit.

XVII. Deinde modus manifestationis indicatur, dum additur εν σωρκι, in carne. Nam & in V. T. DEUS as-
 sumptā ad tempus visibili formā sese manifestavit Pa-
 triarchis, ut Abraham, Gen. c. 18. Jacobo, Gen. c. 32. &c.
 Cæterū erant manifestationes istæ momentaneæ, sub
 formis pro arbitrio assumptis, ad certum & exiguum
 tempus susceptæ, & quædam quasi præludia futuræ il-
 lius magnæ manifestationis, per incarnationem æter-
 ni Filii DEI aliquando revelandæ.

XVIII. Habentur synonyma, vel termini alii,
 quibus in hoc mysterio de λόγῳ incarnatione describen-
 do usa est pia vetustas; iiq; sunt vel ἔγγειαφοι, Biblici, vel
 ἔγγειαφοι, Ecclesiastici. Sic ἔγγειαφος est vox ἴηελος, Joh. c. 1.

V. 14.

v.14. quam B. Paulus etiam in Epistolis suis, de incarnatione filii DEI loquens, studiose retinuit, ut Rom. c. i. v.
 3. Filius DEI χρόνεος, factus ex semine David. Gal. c. 4. v. 4: Misit DEUS Filium χρόνεον factum ex muliere. Philip. c. 2. v. 6, 7. Cùm in formâ DEI esset, λαζῶν formam servi, ēv ὁμοιώσαν ἀθράπων χρόνεον. Explicatur alias hæc vox ἐγένετο in Scripturâ significantissimis verbis, ut in hoc nostro Aphorismo per φανέρωσιν. Ne forte quis cogitaret, λόγον per mutationem, conversionem aut confusionem factum esse carnem, dicit Paulus, Eum manifestatum esse in carne. Et in epist. ad Coloss. c. 2. v. 9: In Christo κατοικεῖ, habitat plenitudo Deitatis σωματικῆς. In epist. ad Hebr. describitur verbis μέλεχε, participavit, c. 2. v. 14. Item verbo θηλαμεῖαι assumit, per enallagen temporis, pro assumptione angelos sed semen Abraham, v. 16.

XIX. Synonyma Ecclesiastica reperiuntur in scriptis Patrum. Irenæus, Patrum antiquissimus, usus fuisse putatur voce οὐρανίωσες; item ἐνουρανίωσες, compendio reddere volens illud Joh. c. i. v. 14. quâ tota postea uita est, & adhuc uititur Ecclesia cupidissimè. Ignatius ad Antiochenos, forte etiam ex Joh. c. i. vocat ἐναρχώποτον, inhumanationem, νοῦς ἐνουρανίωσον, incorporationem, respiciens ad locum Col. c. 2. v. 9.

XX. Græcorum plerique usurpant vocabulum οἰκονομίας, dispensationis, & dicunt, fidei Christianæ duo esse capita generalia: θεολογίαν & οἰκονομίαν, quorum ILLUD est de DEO truno, quando absolute de divinâ naturâ, omnibus tribus personis communi, agitur: HOC determinatè, quando de Γλόγῳ incarnatione sermo est. Vocatur autem præcipue οἰκονομία metonymicè, positâ nimis causâ pro effectu, quoniam ex singulari DEI dispensatione & ordinatione profectum est, sumpto vo-

B 3 cabulo

cabulo ex Paulo, Eph. c. i. v. 10. c. 3. v. 2. Coloss. c. i. v. 25. &c. Ratio appellationis sumitur ex Hebr. c. 3. v. 2. & seqq. ubi dicitur: *Christum, non ut servum, sicut Moses fuit, sed ut Filium super universam domum DEI, id est, Ecclesiam, constitutum, & in administratione ejus fidelem esse.* Quomodo præterea vocabulum ὄκονοπίας tām respectu DEI, quam creaturarum usurpetur apud Græcos, ostendit D. Mart. Chemnitius, in lib. de duab. Nat. c. 9.

XXI. Usitatissimum deniq; est vocabulum ἀξιωμάτος, immeationis, vel circumincepcionis, ut vertic Galatinus l. 3. c. 2. λόγος enim αξιωμάτων, penetrat, & caro αξιωμάτων, penetratur. Nam sicut ignis ferrum ignitum penetrat, immigrat, complectitur, ac totum substantiā suā implet, ut Basilius loquitur, & undiq; ei sine Substantiarum confusione miscetur, ut nulla pars ferri expers sit ignis; & sicut anima totum corpus permeat & informat, totaq; est in totā, & qualibet ejus parte, sine sui vel multiplicatione, vel immunitione, licet in corde, ut vult Aristoteles radicaliter: ita λόγος assumptam carnem pervadit, ut tota sit θεοθέου, Deificata, & λογοθέου, Verbificata. Plures appellationes, quæ etiam apud Athanasium exstant, vide in Tomo Gies. I. disp. 2. th. 30.

XXII. Restat vocabulum CARNIS, in nostro Aphorismo explicandum, quod cūm etiam sit ex numero μιλλαχῶς λεγομένων, præcipua ejus significata paucis percurremus.

XXIII. Tria maximè illustria sunt significata vocis *carnis*. I. Sumitur eidemwās, sive propriè de parte illā, qvæ ab ossibus distingvitur, & est pars mollis & rubicunda corporis, ex sanguine mediocriter resiccato genita, & fibras muscularum complectens, uti describunt

Anato-

Anatomici, Gen. c. 2. v. 23. c. 9. v. 4. Exod. c. 4. v. 7. Luc. c. 24. v. 39. II. Συγένεδοχικῶς, vel pro cunctis animalium generibus, Gen. c. 6. v. 13; vel pro toto genere humano, Gen. c. 6. v. 12. Deut. c. 5. v. 26; vel pro toto homine, Matth. c. 24. v. 22; vel pro toto corpore, Psal. 38. v. 4; vel pro familiâ & consanguinitate, Gen. c. 37. v. 27. III. Μεταφορῶς, pro eo, quod aliquam cum carne, habet similitudinem. Sic sumitur vel in bonam partem, & idem est, quod molle, tractabile, Ezech. c. 36. v. 26: Dabo vobis cor carneum h. e. molle, obsequens; vel in malam partem, pro malopœna, ubi caro idem est quod fragile, infirmum, quæ fragilitas peccati pœna est, ut Psal. 56. v. 5: Quid faciet mihi caro? h. e. fragilis homo; vel pro malo naturæ & culpa, h. e. peccato originali, quod trahimus, ex parentibus, Joh. c. 3. v. 6; vel tandem pro affectibus & cogitationibus vitiosis, à quibus homo carnalis dicitur, Rom. c. 7. v. 14.

XXIV. Quo verò sensu hic accipiatur, ut & Johan. c. 1. v. 14. non opus est longâ divinitatione. More enim Scripturæ usitato synecdochice notatur vera & perfecta humanitas, animâ rationali & corpore, & essentialibus utriusq; proprietatibus & qualitatibus constans; quod inde probatur, quia & alibi in Scripturis Christus nominatur homo, 1. Tim. c. 2. v. 5. Filius hominis, Matth. c. 16. v. 13. Dan. c. 7. v. 13. Vir, Zach. c. 6. v. 12. Puer, Esa. c. 9. v. 6. Filius Davidis, Matth. c. 1. v. 1. Filius virginis, Esa. c. 7. v. 14. Semen mulieris, Gen. c. 3. v. 15. Surculus radicis Jesse, Esa. c. 11. v. 1. Fructus lumborum Davidis, Act. c. 2. v. 30. habens carnem & ossa, Luc. c. 24. v. 39. verè natus ex Mariâ virgine, Matth. c. 1. v. 16. in plenitudine temporis, Gal. c. 4. v. 4.

XXV. Carnem animâ rationali animatam assumptissimam

sumpsisse λόγον dicimus, non corpus πάντα ἀψυχον, vel
salem animā θερμην, vegetativā præditum, cui loco
animæ rationalis ipsa Divinitas fuerit, id quod firma-
testantur Scripturæ testimonia. Filius enim hominis ve-
nit dare animam suam pro multis, Matth. c. 20. v. 28. ponit
animam suam pro ovibus, Joh. c. 10. v. 15. ponit eandem, ut
iterum sumat, ibid. v. 17. Commendat spiritum Patri, Luc. c.
23. v. 46. Emittit spiritum, Matth. c. 27. v. 50. Huic porrò ta-
les Scriptura tribuit potentias & affectus, qui de vegeta-
tivā animā dici & intelligi nequeunt, nimirū intelle-
ctum & voluntatem, Luc. c. 2. v. 52. Matth. c. 26. v. 39. profe-
ctum in sapientiā & etate, Luc. c. 2. v. 40. 52. latitiam, Luc. c.
10. v. 21. desiderium, Luc. c. 22. v. 15. turbationem, Joh. c. 12. v.
27. tristitiam, Matth. c. 26. v. 38. iram, Marc. c. 3. v. 5. Jam si,
juxta Apollinarem loco mentis & voluntatis in Christo
suit Divinitas, Sapientiā utiq; hæc proficere debuit,
quod ἄποιν!

XXVI. Damnanda etiam est blasphemia illorum,
qui Christum non verum & solidum corpus, sed φάντασμα, &
nudam humani corporis speciem assumpsisse, ideoq; omnes Chri-
sti actiones καὶ δόκησιν νέῳ φάντασμα factas esse, delirarunt.
Quos tamen ipse Salvator disertè refutat, Luc. c. 24. v. 39:
Palpate & videte, inquit, quia spiritus carnem & ossa non ha-
bet, sicut me videtis habere. Ostendit illis vestigia quoq; cla-
vorum in manibus & pedibus, Joh. c. 20. v. 20. 27. Item,
Matth. c. 14. v. 29. Marc. c. 6. v. 48. Joh. c. 6. v. 19. Vide-
runt eum discipuli ambularem super aquam &c.

XXVII. Nec minor impietas est illorum, qui
opinati sunt, Filium DEI veram quidem assumpsisse carnem,
sed non consubstantialem nostram, verum ab eâ diversam, aut ex
essentiâ DEI Patris genitam, aut ex materia cœlesti, velelemen-
tariformatam, que per Mariam, sicut aqua per canalem, tran-
sierit.

serit. Quod de Manichæis & Valentinianis observavit Irenæus l. 1. adv. hær. c. 1. p. 22. Quibus idem l. 3. c. 32. p. 220. hoc opponit argumentum: Si Christus non ab homine accepit substantiam carnis, neq; homo factus est, neq; Filius hominis, & si hoc factus non est, quod nos eramus, non magnum faciebat, quod passus est. Nos addimus illud Angelii, dicentis ad Mariam, Luc. c. 1. v. 35: Quod cū oī, EX TE nascetur, sanctum vocabitur, ubi non dicit ēv ἀνθ, IN TE, ut Matth. c. 1. v. 20. nec PER TE, quā ratione olim hunc textum depravasse feruntur Marcion & Valentinus: sed EX TE. Iam famosissima significatio & magis propria præpositionis cū est, quā notat habitudinem materiæ ad compositum. Hinc Aristoteles, materiam semper definit per hanc voculam cū, ut, lib. 4. Metaph. c. 2. lib. 1. Phys. c. 9. lib. 2. Phys. c. 3. lib. 1. Polit. c. 5.

X X V I I I. Sejungimus igitur nos fide cordis, & confessione oris, ab omnibus reliquis omnium temporum hereticis, qui quovis modo, sive directè, sive obliquè, naturæ humanæ veritatem oppugnant & negant. Ecclcommendamus illud 1. Joh. c. 4. v. 3: Omnis spiritus, qui non confitetur JESUM Christum in carne venisse, ex DEO non est. Nam ejusdem periculi res est, in Christo JESU vel Divinitatem, vel carnem nobis consubstantialem, negare, quum altera sine altera nihil spei nobis tribuat ad salutem. *Vitam enim suam nescit, qui Christum ut verum DEUM: ita & verum hominem ignorat,* ait Hilarius.

X X I X. Et licet Christus DEUS sit, & homo, non tamen duo, sed unus est Christus, θεός & ανθρώπος, in quo non est ἄλλη νοήσις ἄλλο, sed ἄλλο νοήσις. Nam Filius DEI naturam, non personam, humanam, per anagogiā, ut Justinus nominat, sibi indissolubiliter & indistincter, modo singulari, omnem hominum &

C

Ange-

Angeorum captum transcidente, univit, eamq; in omnem eternitatem in suâ subsistentem fecit, ita ut non sit $\alpha\mu\nu\pi\tau\omega\zeta\eta\zeta$, neq; $\alpha\mu\nu\pi\tau\omega\zeta\eta\zeta$, sed $\alpha\mu\nu\pi\tau\omega\zeta\eta\zeta$, etiam à primo conceptionis puncto stetio. Siquidem ut Damascenus ait, $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$, $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$.

XXX. Quæ unio non est $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$, nominalis, sed realis ; nec tamen propterea essentialis. Duæ enim naturæ non fiunt unum essentiæ : sed in omnem æternitatem cum suis proprietatibus manent distinctæ ; nec naturalis, quasi ex concurso duarum naturarum confetur $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$ aliquid tertium, qualis unio intercedit inter animam & corpus; nec accidentalis, quasi $\lambda\gamma\zeta$ carnis tantummodo adsistat, aut gratosè inhabitet ; vel quasi eam tantum sustentet citra $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$ communicationem : sed ratione termini ad quem, rectè dicitur hypostatica vel personalis, quia in personâ $\lambda\gamma\zeta$ facta est, unamq; Christi personam constituit. Unde quamvis hæc unio dici soleat reciproca : tamen principium unionis actiyum, & simul terminus ad quem est $\lambda\gamma\zeta$, qui assumpsit humanam naturam in suam personam. Natura enim humana non assumpsit $\lambda\gamma\zeta$, sed ipsa à $\lambda\gamma\zeta$ & in $\lambda\gamma\zeta$ assumpta est.

XXXI. Hic actus personalis naturæ assumptionis, non facit naturam hanc humanam esse distinctam personam : sed ostendit, eam esse personaliter unitam $\lambda\gamma\zeta$ $\alpha\mu\alpha\pi\zeta\eta\zeta$, & in eâ subsistere, ita ut neq; humanitas assumpta extra $\lambda\gamma\zeta$, neq; $\lambda\gamma\zeta$ extra hanc humanitatem (post factam incarnationem) seorsim, aut separatim, & ad partem existat, & subsistat, propter personæ indissolubilem nexus & unitatem.

XXXII. Idem volunt Patres Concilii Chalcedonensis, Athanasius, Damascenus, & alii ex priscis Ecclesi-

fig

Sic Doctoribus, qui dixerunt : Unionem factam esse adiutorias, indivisas, aequipotentes, inseparabiliter, adiunctivas, indistincter, adiutorias, sine distinctione aut divisione ullam, contra Nestorium, sicut etiam facta est a synodis, inconfusa, aequivalentes, inconvertibiliter, auctoritatis, immutabiliter contra Eutychen.

XXXIII. Forma sive differentia specifica istius unionis sita est, I. in intimâ & profundissimâ naturarum, & existentia, immanentia, permeatione, vel ut reddit Galatinus loc. supra thes. 21. alleg. circumcessione, ita ut, ubi unq; caro est, ibi $\lambda\circ\gamma\circ$ sit : & ubi unq; $\lambda\circ\gamma\circ$ est, ibi etiam caro sit, nec $\lambda\circ\gamma\circ$ ita totus sit in carne, ut etiam totus sit extra carnem, quæ perversa Calvini sectatorum est sententia. II. In unitate spiritus constitutio mutua, quâ hæ duæ naturæ ita sunt unitæ, ut unantum sit persona, adeoq; assumpta caro $\lambda\circ\gamma\circ$ tam sic propria personaliter, quam propria ipsi est Divinitas essentialiter.

XXXIV. Facta est hæc UNIO in ipso momento conceptionis, per obumbrationem Spiritus sancti, anno mundi, secundum Helvicum, 3947. Vocaturq; rectè singularis, & præ reliquis unionis modis eximia, ab omnibusq; aliis exempta à Justino & Epiphanio. De admirandâ enim hac divinæ infinitæ, & humanæ finitæ naturæ copulatione, non omnia, quæ à curiosis quæri & disputari solent, ad oculum geometricè demonstrari possunt, vel debent, cum facilius de eâ dici & intelligi possit, qualis non sit, quam quid sit, uti Augustinus de DEO loqui solet.

XXXV. Unde & prædicationes, quæ hinc resultant, non sunt identicae; nec regulares; nec tropicae & figuratae: sed inusitatæ & personales. Ut enim se res habet

in esse, sic & in prædicari. Unio autem est singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis; ergo & prædicatio. Sed plura de his in ipso disputationis conflictu, nōr Jeq̄, cui, telam nostram hic abrumptentes, meritò pro tantis beneficiis votivas reddimus grates; idq; δαξολογία Damasceni: *Euge, ô Christe, quid tibi pro his omnibus nos miseri & egeni retribuemus? tua sunt omnia, & nihil à nobis petis, nisi ut salvemur.* Tibi sit gratia, quod cùm non essemus, dedisti, ut essemus, cùmq; perditū essemus, ex gratiā dedisti, ut bene essemus. Tibi sit gloria, laus, honor, & victoria, in sempiternas seculorum secula!

Π ΑΡΕΡΓΑ.

I. Christus in triduo mortis sue ipso actu verus homo non fuit. Teste enim Scripturā, verissimè mortuus est, nimirum, animā à corpore dissolutā, quamvis nec illa, nec hoc ἡλόγω dissolutum fuerit. Quare cessante unione naturali harum partium inter se: ambarum tamen unio personalis cum Filio DEI, etiam in mediā morte, salva & integra permanxit. Adstipulatur nobis Damascenus lib. 3, de orthod. fide c. 27, hisce verbis: Quanquam (Christus) mortuus est, ut homo, & sancta ejus anima ab incontaminato separata corpore: non tamen Divinitas ab utroq; separata remansit, ab animā, inquam, & corpore.

Ι.Ι.

Idem Damascenus cap. 3. preced: non adversatur nobis, unionem duarum naturarum in Christo appellans γεωδη, esentialē, ut adstruat atq; defendat, eam ἀληθινę factam esse, & non (qua verba ejus sunt) ψ. Pantocrator. Sic nec Cyrillus nobis

nobis contradicit, vocans eam $\tau\delta\varphi\sigma\tau\mu\nu$, naturalem. Non enim unionis modum, vel terminum ΔD quem notare voluit: sed terminum Δ quo, h.e. ipsas naturas verè unitas, & non tantum secundum effectum participationis.

Voculam $\tau\delta\varphi\sigma\tau\mu\nu$ Job. c. 5. v. 27. rectè verti quatenus, atq[ue] sic reduplicativam, non specificativam esse, negamus contra Bezan.

I. V.

Particula $\tau\delta\varphi\sigma\tau\mu\nu$, secundum, & alia similes, quas Scriptura adhibet, loquens de Christi nativitate, passione ac morte, non sunt $\chi\omega\epsilon\tau\mu\nu$, sed $\Delta\gamma\epsilon\mu\lambda\mu\eta\tau\mu\nu$ & $\delta\alpha\epsilon\kappa\mu\eta\tau\mu\nu$, h.e. non cum Nestorianis separant, sed contra Eutychianos distinguunt.

Communicatio Idiomatum non est unionis personalis animorum in Christo naturarum forma, ut nobis Romanenses non nulli affingunt: sed immediatum duntaxat consequens.

Enunciatio hec, SOLA FIDES JUSTIFICAT, nobis exclusiva subjecti est, non prædicati.

VII.

Qui ex Theologis imaginem DEI vocant donum super-naturale, quia peculiari DEI gratiâ ac beneficio fuit concessâ, & non pars naturæ, nec ex hujus fluxit principiis, ac per consequens neq[ue] in primo, neq[ue] in secundo PER SE modo de suo subiecto prædicari potuit; non verè & secundum rem contradicunt aliis, qui donum naturale appellant, quia ab ipso ortu seu origine naturæ fuit, hanc perfecit, & semper cum eadem ad posteros, si primi parentes in suâ integritate persistissent, fuisse Nob propagata.

31
36
37
24
28
26
40
44
48

noy
Nobiliss. & què ac Doctissimo
DOMINO
JOANNI DANIEL STARCKIO
SS. Theol. Stud.
DE INCARNATIONE SALVATORIS NOSTRI
DISPUTATURO S.

I.

Corpora nostra gelu, tūm frigore pectora torpēnt,
Hinc caluisse sacri numinis igne jūvat.
Te parili stimulat mens STARCKI taliter actu,
Roboret è radiis quò calor ille suis.
Sic tantum cathedrā fēruorem accēsere gestis,
Prævia WEINMANNI per studia ire sequax:
Nempe INCARNATI meditans ardētia DIVI
Ausa, quibus nostra est, incaluisse, salus.
Res cœlo & zelo digna audit; cœlipotentis
Cœlitus aspiret flaminis ardor opem.
Neētare at ambrosio WEINMANN tibi corda rigabit;
Hujus ab igne animum vis calefacta levet.

F.

LUDOVICUS JUNGERMAN
Med. D. P.P. & Botanic.
Univ: Altorph. ac p.s. ord.
S. Decanus.

I I.

Est aliquid plenāthesaurus conditus arcā;
Est aliquid priscā nobile stirpe genus:
Ni tamen accedit virtus quoq; propria, Patrum
Aureanativi nil feret umbra boni.

Hoc

Hoc animo volvens, STARCKI, non stirpe parentum,
Sed virtute tua clarior esse cupis.
Hactenus ergo bonas didicisti gnariter artes,
Verbaḡ Romanis addere Graja sonis.
Nunc divinarum tractare negotia rerum
Niteris, & lingua plectra sonare sacrae.
Nec sat is hoc; WEINMANN etiam duce & auspice gaudes
Edere profectus conscientia signa tui,
Atq; Sophistarum scelerata retundere tela,
Qui TE, Nata DEI, numen habere negant.
Perge bonis avibus, cunctosq; huc dirige sensus,
Ut sit doctrina consona vita tua.
Sic doctos inter memorabile nomen habebis;
Majorum poteris sic geminare decus.

Honoris ergo
F.
M. Jacobus Tydaeus
Poët. & Orat. Prof.
fess. Publ.

Q Uæ tibi mens, STARCKI, est dum omnes Bellona fatigat?
Nimirum gladium stringis & ipse tuum,
Sed gladium Verbi, quem solers theca sophorum
Continet, inq; hostes stringere rite docet
Dogmata de Nostrâ defendis vera Salute
Factus homo Christus qua ratione docens,
Nulla salus bellis, de bellis unica vox est
Hoc autem bello provenit una salus.

L. Mq,
M. Abdias Trew
Math. Prof. Publ.

François

I V.

Γνώμη σωρκοφόρου οὐ αύτοφυτοι θεοί^{ταῦτα}
ψὸν, τοὺς ζωὴν καὶ μινύθυσιν ὁδός.
Σοὶ λόγον αἴρρητως σωρκασιν ἔχοντα δάκρυα
ελδομένῳ μέλειαι γερματαὶ ιερὴ θεῖ.
Πάρμενε τῇ χριστῇ γνωσει, αἰειδένετον αἷμα,
χρυσίας δέλτας εὐ πεπιθεωτοῖ θεῖς.
Φῶς κόσμος Φρεγαστὸς Φωτίζει, οὐ Φρεγ Φόντα
δόγμα τανοκράτης τοῖς λογιστοῖς θεῖ.

Ita Suo.
ex

Intimis Intimo

M. Fridericus Ferber.

Force esse decet bello, pia causa, peritus
Ductor, tum lætans exitus esse solet.
Quo fuis ergo, Papæ STARCKI, Calviq; ministris
Dum vis moliri bella? Sat illa bona?
Optima. Nam pia causa subest, ductorq; probatus
WEINMANNUS: causa est unica nostra salus.
Laudo igitur bellum hoc! pugnato fortiter, opto
Successus faustos! en DEUS adstat homo!
Elude ingenio dignos licet Herculis astus:
WEINMANNUS pugili dux tibi certus adest;
Vincito: Sic omen tibi nomen habere probabis;
Sic tandem belli justa brava caferes!

Christophorus Schraut.
Ober Eiseheim. Franc.


FINIS.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn786503807/phys_0029](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786503807/phys_0029)

DFG



the scale towards the document

19.

) quia dictum est: Ad apprehendendum alas temporis ex illâ, & Verum, Latinè detextis Rabbino-
atque judiciis variis missis, conferimus nos ad
tentias, quibus potius mens sana in corpore
is progreßum ad

Iembrum Tertium.

ie Judæorum communiter hanc loquendi for-
altera vitâ intelligunt, quod, quamvis pii in
rba patientur, tamen in altera arctissima ne-
culandi cum D E O , veluti ex præcedentibus,
x R. Salomone, R. Levi, R. Kimchi, quam-
tiat: Ita contrâ I. reperiuntur haud pauci ex I. Sentetia.
ribus, qui verba loci citati tantum de Con-
is vitæ periculis accipienda putant. Confer. D. Frantzi⁹
Martin. Delrio, (b) quorum iste, fors, inquit, vi-
diuturnam, ut à D E O illigari Fasciculo Viventium
E O sedulo & diligenter curari, custodiri & con-
m (nam Anima hic vitam hanc præsentem signi-
adimat, sed ne quidem perturbet, ut indicat op-
in funda.
us, eandem planè sententiam fuisse D. Ioh.
& precantis est, inquit, Sit Anima tua servata a
e. numero Viventium. Hoc est, Tua vita custo-
a inter vivos, vita autem adversariorum verti-
i DEI intereat, ut nesciant, quo se vertant. Sic
(d) arbitratur: Commune tum fuisse, in populo
consuetudinem, haud dubie à Patribus acceptam,
colligere pios in fasciculum & fore in gremio
homines solent, id quod sibi charum & antiquum
rvare. Voluerunt autem S. Patres hac figurata
unioribus ac imperitioribus, pios cura esse D. E O ,
haberi prelio, & conservari ac protegi contra
li & Mundi.
em sensum facere videtur. Sanctius. (e) Fascicu-
lationem significat eorum maxime, qui cedem vita

^{a)} De Inter-
pret. Script
Sac. Orac.
69. p. 821.
& seqq.

^{b)} Adagial.
V.T. Adag.
185. p. 197.

^{c)} D. Ioh.
Bugenh.
Comment
in Sam.
Prop. Wit
tenb. 1524.

^{d)} Hieron.
Weller.
Comment
in h.l.

^{e)} Sanctius
in h.l.

C 2 inſi-

D h.l. ita comment. deus te in periculis
in fasciculo involutum, inter eos, suos de-
put. Ergo vita nostra in potestate
nisi deo permittante.